

## ORAL I

Persōnae: Dōrippa, Lepidus. Lepidus, quī multās rosās sēcum fert, in cubiculum Dōrippae intrat.

**Lepidus:** Salvē, amīca mea!

[Dōrippa eum nōn salūtat.]

**Lepidus:** Ecce rosās quās tibi afferō, Dōrippa, rosa mea! Accipe hās rosās ab amīcō tuō!

[Dōrippa tacita Lepidum intuētur neque locō sē movet.]

**Lepidus:** Nōnne rosae tē delectant?

[Dōrippa rosās manū capit et ad terram iacit!]

**Lepidus:** Quid agis, Dōrippa? Cūr rosās pulchrās ad terram iacis?

**Dōrippa:** Eās rosās dā amīcae tuae!

**Lepidus:** At rosās amīcae meae dō.

**Dōrippa:** Nōn sum ego amīca tua.

**Lepidus:** Quid audiō?

**Dōrippa:** Id quod vērū est.

**Lepidus:** Sed ego tē amō, Dōrippa.

**Dōrippa:** Tū nōn mē, sed ancillam amās.

**Lepidus:** Quid dīcis? Cūr īrāta es?

**Dōrippa:** Putāsne mē oculōs nōn habēre? In mediā viā ancillae ōscula dās!

**Lepidus:** Nōn ancilla, sed... soror mea est. Eī nōmen est... Lepida!

**Dōrippa:** Vērū nōn dīcis. Tibi soror nūlla est. Sed mihi est frāter magnus quī tē pulsāre potest!

**Lepidus:** Ego frātrem tuum nōn timeō!

**Dōrippa:** Nec frāter meus tē timet!

[Dum Dōrippa loquitur, audītur magna vōx in viā: "Dōrippa! Ēsne domī?"]

**Dōrippa:** Ecce frāter meus! Sūme rosās tuās, Lepide, atque abī, antequam frāter meus tē per fenestram iacit!

**Lepidus:** Hercule! Servā mē!